IN FAUSTISSIMOS
ATQUE OPTATISSIMOS
NATALES
CELSISSIMI PRINCIPIS
ADAMI, ALEXANDRI FELICIS
CZARTORISKI
ANGELI DURINI EX COMITIBUS MODOETIÆ ARCHIEPISCOPI ANCYRANI PER UTRAMQUE POLONIAM ET MAGNUM DUCATUM LITUANIÆ CUM FACUL. LEGATI à LATERE
NUNTII APOSTOLICI
CARMINA GENETHLIACA
AD CELSISSIMUM PRINCIPEM
PATREM
ADAMUM CZARTORISKI
SUPREMUM PODOLIÆ DUCEM

VARSAVIÆ
Annô Domini 1770.

CELSISSIMO PRINCIPI
ADAMO
CZARTORISKIO

ANG: DURINI EX COMITIBUS MODOETIÆ
ARCHIEP. ANCYRANUS NUNTIUS
APOSTOLICUS

E Quibus carminibus CELSISSIMI PRINCIPIS ALEXANDRI FILII TuiNatalem solemni Veterum Romanorum ritu atque instituto veneratus sum, iis, ne propter eorum mediocritatem contempta jacerent, adsciscendus cum esset aliquis, à cujus dignitate, quod deerat mutuarentur, unus Tu statim occurristi PRIN-

CEPS CELSISSIME atque JNVICTISSIME DUX, quem potiſſimum deligerem. Qui nimirum, ut cum Catullo meo loquar, dignaris.

Meas eſſe aliquid putare nugas

et nuper eximiis Laudibus Tuis Corollam Epigrammatum meorum ad Nobiliſſimam Virginem URSULAM ZAMOISKAM, ſic complexus es, ut nullius mihi operæ præclariùs unquam conſtitiſſe ratio videatur.

Quare (PRINCEPS CELSISSIME) habeTibi quidquid
hoc libelli eſt
Qualecumque, quod o Patrima Virgo
Plus uno maneat perenne ſæclo.

Nec minus æquum videbatur, ut quæ in Tanti Filii Natales fueram meditatus, Tibi CELSISSIMO GENITORI dedicarem, qui tam luculentam & opportunam Poetarum carminibus præbuiſti materiam. Argumentum arripui illuſtre, ut tanto illuſtrior crederer Vates. Solent quippe ſculptores, ut mercibus pretium concilient, Regum, Principumque vultus in æs aurumque inducere. Idem mihi inſtitutum, Ex HEROIS CZARTORISKII Natalibus famâ mereri, & quam ab ingenio non poſſum, ab argumenti ſplendore aucupari. Nec ignoras CELSISSIME ADAME, Muſarum hæc eſſe privilegia, quamvis nullo Imperatorum, nullo

Comi-

Comitiorum edicto sancita : adire Principes, etiam Monarchas, neq; expectare, ut fiat ipsis salutandi aut laudandi potestas. Quid quod & hoc Litterarum genere non Leviter Te affici compertum habebam, &, ut jam dixi, nonnulla nuper à me edita carmina applausum Tuum, & commendationem retulisse, Teque eum denique esse Principem

Qui verum pretium studiorum intelligit, idem
Qui facit, & pulchro Musarum accensus amore
Ipse colit Clarias, & quâ valet, excitat artes.
Et quid Principibus generosius & mage dignum
Esse queat, quam si Aonias & Palladis artes
Promoveant foveantque? Nihil nec stemmati Eorum,
Nec titulis æquabilius, meliusve, magisque
Eximium. Saltent alii, ducantque choreas,
Aut multo Capreas plumbo petat ille fugaces,
Aut cervum aut Leporem, aut metuendum dentibus Aprum:
Hic agilem conscendat equum, flectatque volentem
In gyrum, & gressus doceat glomerare superbos,
Nocturnâ terat iste manu, terat atque diurnâ
Quas vetuit Chartas lex, incertosque fritillos:
Qui vero pulchram divinæ particulam auræ
Excolit, & longè potiorem corpore mentem,
Is vere demum mihi nobilis, is mihi Princeps,
Is mihi homo, multoque aliis humanior, ipsi
Proximiorque Deo est, qui mens est totus, & omnem
Mente suâ Terrarum orbem, cælumque gubernat,

Unde

Unde genus noſtrum deducimus, & ſumus illud
Quod ſumus, æthereo delaſpum nomen Olympo:
Quare, qui ſe iterum in ſuperas mente aſſerit auras,
Major habendus homo eſt, major, me Judice, Princeps.
Laus ea, MAGNE ADAME *Tua eſt; Tu Palladis igne*
Utque cales, vigilemque animum nunqu amque remiſſum
Aſſiduo intendis ſtudio : tu percitus æſtro
Pectus Apollineo Muſarum dulcibus undis
Ora rigas : curâ eximiâ, totâque Poeſim
Mente foves ; non vulgarem, tritamque, novamque
Sed veterem, ſed divinam, ſed qualis Olympo
Proxima , natalique recens ex æthere Diva
Montibus errabat Latiis, cum barbara verba
Nondum polluerant puri ſacraria Phœbi.
Sic BELLI INGENIIQUE DEAM *, Vir Magne , Minervam*
Rite colis , quâque illa manu fert angue micantem
Ægida , quâ & ſanctas Doctrinarum edocet artes :
Hinc Tibi dant unâ Vates præconia voce ,
Teque vel invitum cælo ſuperiſque reponunt
Sedibus, ac ſæclis tradunt, narrantque futuris.
Ne quæſo indignere , pio ſi pectoris æſtu
Motus ego, ingentique Tui percuſſus amore
Præconum in partem veniam, Vatumque Tuorum.
Nam quis te norit, nec prædicet ? omnia ſponte
In Laudes ſeſe ora tuas animique reſolvunt.
Tu facis ingenium : tu verba canentibus apta
Suggeris, & ſtimulos acres ſub pectore condis.

Amore

Amant etiam eos, à quibus amantur Apollinis Mystæ, & gratiam refert cultoribus ſuis Gens iſta, ad Laudem & gloriam nata, nec ante operæ pretium ſe feciſſe arbitratur, quam operas ſuas Viris Principibus, & in illuſtri Loco poſitis probaverit. Dicam quod res eſt. Dum viam quâ ad carmen itur non metuo calcare, &

juvat ire per alta
Aſtra, juvat terris, & inani ſede relictâ
Nube vehi, validique humeris inſiſtere Atlantis,

Senſi & me honeſtâ quadam ambitione duci titillarique; & qui Philoſophiæ antehac ac Theologiæ præceptis imbutus minime ambitioſus eſſe debebam, neſcio quo fato, aliorum de me judiciis corruptus, erigi cæpi, & inglorium vulgus poſthabere. Fecit hæc res, ut qui amænioribus Muſarũ ſtudiis quaſi valedixiſſem, tandem veluti poſtliminio cum neglectis Muſis in gratiam redierim. Etenim dum temporum iſtorum calamitate, atque iſtis partium ſtudiis quibus Polonia vexatur, atque convellitur, invitus cogor domi reſidere, ne me caperent mala tædia, quidquid à ſeveriori munere meo temporis ſubducere potui, his ſtudiis impendi, & ut ægri animi murmura ſubinde reprimerem, liberum ſpiritum per Poetarum meditationes

atque oblectamenta, ut ita dicam præcipitavi, & quemadmodum amissâ zonâ rebusque accisis, hoc unum superest miseris, ut cantu miseriam solentur, ita nobis in medio hoc, quo Polonia agitur, Turbine, versantibus, hoc solum reliquum fuit posse canere, & Collegia, si non Matronarum, saltem Musarum frequentare & melius esse judicans uti hâc animi relaxatione, quam temporis publicis muneris mei curis impensi reliquias decoquere in conviviis, & aleâ vel rixosis ac pugnacibus de publicis rebus sermonibus. Aliis volupe sit nummos in seriem disponere, aliis arbores in quincuncem digerere, alii agrorum & jugerum, alii bouum oviumque censum ineant; mihi non omnem felicitatem inviderunt Dii, cui versus numerare concessum: Placent mihi hæc studia PRINCEPS CELSISSIME,

nec isthæc
Otia divitiis Arabum liberrima mutem.

Hinc est quod compererim me hôcce Legationis meæ triennio Libros carminum scripsisse complures. Composui profectò me quantum potui ad optimos scribendi Magistros. In Heroicis, Virgilii, in sermonibus, & Lyricis Horatii, in Elegis atque Hendecasyllabis Catulli, Propertii

vestigia sum secutus, licet impari passu; Nam quid, cum Lucretio loquar.

tremulis facere artubus Hædi
Consimili in cursu possint, ac fortis Equi vis?

Neque cum illis unquã sensi qui statuunt nullí prorsus esse usui imitationem, omnemque imitationem furtum esse contendunt. Quod dum faciunt non vident se Virgilium aliosque summos Viros furti accusare. Non digrediar in Poeseos Latinæ laudes, PRINCEPS CELSISSIME, nec, ut hæc mea Genethliaca commendem carmina, rem laudatissimam exaggerabo. Jam enim à prima ætate didicisti Poetas

epulis accumbere Divûm.

Qui Orientem & occidentem domuerunt Imperatores, qui Orbi universo jura & Leges dederunt, minime indignum arbitrati sunt Cesareâ Majestate liberos sensus vinculis astringere, & velut captivam abducere orationem. Quam gravi carmine ille Germanicus Cæli Phænomena exhibet? Quam Lepidis trohaicis Florum ridet Adrianus? Quan-

tâ æmulatione de carminis principatu cum Lucano contendit Nero ipsemet, de quo Martialis.

Heu Nero crudelis, nullàque invisior umbrâ

Possem etiam in exemplum afferre Mæcenatem illum Atavis, ut Tu, PRINCEPS CELSISSIME, Regibus editum, etiam Octavium ipsum, & post hunc Gallienum, Cæsares, qui à Reipublicæ negotiis, ad carminis tranquillitatem, tanquam ad portum faciliorē se receperunt: ut minus rectè rationes subduxisse mihi videantur, qui Latinam Poesim, atque honestas artes ab Aulâ, à Nobilitate à Purpurâ, ad Pædagogorum conventus, & mediam cirratamque Turbam, veluti relegant. Certe COCANOVIUS nulli Pœdagogio nomen dederat, atque ut audivi Vir Campi fuit, atque in bella duratus; attamen ita Latine, ita eleganter scripsit, ut Tibullus in ipsum immigrasse videatur; neque Umbraticus Doctor erat Stanislaus Lubienius, sed Episcopus idemque Senator egregius, de cujus inclytis monumentis idem quod olim Horatius de suis, pronuntiari possit; nempe ære perenniora esse, quodque.

Non imber edax, non Aquilo impotens

Poſſit diruere, aut innumerabilis
Annorum ſeries, & fuga temporum,

Sed ut ad me redeam, quoties animum à cogitatione gravi, & ſolitudine, quæ duo ſunt nutrices dolorum, abducere ſtudeo, paratiùs nihil occurrit, quam ut ſuaviſſimis hiſce in Litteris involvar,

Miſcear & ſanctis Aonidum choreis.

Qui à ſcorpiis icti ſunt, ab ijſdem, ut ait Plinius, remedium petunt: Ita qui litteris ſumus addicti, feſſam tetricis ac ſeverioribus ſtudiis mentem, ijſdem, ſed amænioribus, ſed ſuavioribus recreamus. Vidi hâc præterita eſtate prope Viaſdoviam milites Tuos PRINCEPS CELSISSIME dum in æſtivis agerent, nec vel prælio experiri, vel ſub pellibus excubare neceſſe haberent, tamen iis luſibus exercere corpus atque animum, qui militiam ſapiunt; Aciem inſtruere, haſtas vibrare, conflictus ludicros populo exhibere, & ſic à belli muniis feriari, ut per luſum eadem obirent. Horum exemplo ſapientiam à Lyçæo & Stoâ in Heliconem deduxi, & ſerias cogitationes in Luſus atque ingenii oblectamenta converti. Quid autem de hiſce Ge-

nethliacis carminibus judicaturi sint atrati quidam Eusebii longum syrma trahentes, nil moror. Scio familiare ipsis esse omnia quæ sua non sunt grunnitu excipere & morsu.

Quos ego. Sed

Tibi uni placere PRINCEPS CELSISSIME, Tuique similibus in animo habui: *Unusque mihi instar omniū es*: Tibi hoc quidquid est litterarii muneris, do, dico, utinam virtutum Tuarum tam perenne, quam mei cultus atque obsequii sincerum monumentum. Magnatum mensis etiam fugaces ac horarii fructus apponi solent; & gratas quoque nosti esse Jovi victimas, quæ infra Hecatomben sunt. Quare, minuta hæc, sed fortasse oblectantia, scio, non despicies. Achilles ille Homericus inter *bella, horrida bella*, fides & cytharam interposuit. Idem pro tua humanitate facies, & optimo iuterjungendi genere inter seria Genethliaca hæc leges, atque inter tubas &

Tympana, tranquillæ volves commenta Minervæ.

Interea à Juvenali præceptum accipe

foribus suspende coronas,
Jam Pater es.

Habes

Habes, CELSISSIME PRINCEPS, quod cælo imputes. Marem tot votis expetitum genuiſti. Magnas ergo ſpes ale. Qui in cunis jam vagit, *Fabius* erit, & *Polonam reſtituet rem*; Qui fari neſcit, utpote Infans, Polonicus erit *Hercules*, qui orationis lenocinio captivos ducet animos Polonorum,

Et curam impendet Populis, atque otia Muſis

Filium genuiſti. Plus te Patrem eſſe puta. Philippi Macedonum Regis vox fuit, *nihil ultra habere à Diis quod peteret immortalibus, cum Filium haberet*. Fuit eadem Antonini Pii. Cræſus, cum Cambyſes ſe cum Patre Cyro conferret, amicis affirmantibus illum Patre præſtantiorem, reſpondit; *Nondum Patri æquandum, qui nondum genuiſſet Filium*. Genuiſti Filium PRINCEPS ADAME, hoc eſt virtutis Tuæ ſimulacrum, Hæredem tot divitiarum Tuarum, ſed quod pluris æſtimandum, Eruditionis Tuæ, humanitatis ſurculum.

Te Duce non ſegnis diſcet cognoſcere Laudem,
Et virtutis opus ſub te tolerare Magiſtro:
Vive diu, ſimiles à Te tua Patria Natos
Sperat adhuc, unus Patriæ non ſufficit Heros.

In

In hoc omine desino, & abrumpo Styli Luxuriem: Hoc unum addam, nempe ut quibus oculis ad blanditiem & amorem compositis ALEXANDRULO TUO jam annuis, Genethliaca hæc carmina lustrare digneris. Jam vale PRINCEPS CELSISSIME &

novis ordire Maritum
Auspiciis.

Iterum vale cum Celsissima Uxore & Liberis.

Dabam Varsaviæ ex Musæolo nostro V. Idus Februarias Anni MDCCLXX.

CARMEN

MAgnæ animæ *Jagellonum* Divûm alta propago,
Concilio Jovis insertæ, Superumque choræis,
Victores Populorũ, & Regum exempla, Nepotem
Cernite replentem teneris vagitibus auras.
Non penitus Genus Heroum convellere Divi
Jam faciles, nec res *Lechûm* delere parati,
Cum talem *Lechis* Puerum de stirpe *Jagellâ*
Annuerunt: superorum En pignus grande Deorum
Nascitur, atque bibit lucem, Magnosque Parentes
Ore suos refert, referet atque artibus olim
Militiæ & pacis; roseo proh quantus in ore
Fulget honos! que flamma oculis! quodve instar in illo est!
Sic oculos Mars, atque manus, sic ora gerebat,
Regia quem Juno supremo enixa Tonanti est:
Olli fulminei vultus Patris, ipsaque jam tùm
Fulgura gestibat manibus tractare tenellis,

Et

Et ſtrictos nondum firmus reptabat in enſes.
Ut modo Varſavia exultat! Turreſque ſub aſtra
Conſpicuum tollunt caput! ut jactantior undas
Viſtula *Lechiadum* volvens Regnator aquarum
Disjungit ripas, glacies quas junxit acuta,
Ferratasque negat tergo tolerare quadrigas:
Nec minus exiliunt animis *Lithuania* vaſtos
In ſaltus porrecta, ferox *Volynia*, portu
Commoda multiplici *Livonia*, *Pruſſia* dives
Ruſſiaque, atque ſolo *Podolia* pinguis opimo,
Et vultu implacidum ſpirans *Maſovia* Martem
Binaque formoſo ſpectanda *Polonia* cultu.
Magnæ Animæ *Jagellonum* Cæli arce receptæ,
Vos o quæso mihi lucem aſpirate carenti,
Quâ non ulla unquam fulſit jucundior; ecce
Auguror, ecce illud frontis decus, illa genarum
Purpura, & illa oculis fax, omina certa futuræ
Indolis oſtendunt; quâ forti pectore, dextra &
Magnanimâ claros Patriæ ex aget hoſte triumphos.
Græcia talem hilaris venientem in luminis auras
Caſtora, nobilem equis & pugnâ ſuperare ſagacem,
Alernenâque ſatum vidit; talis quoque vultus
Hectoris, auxilium Phrygibus muruſque maniplis
Qui fuit, atque humeris cujus ſtetit inclyta Troja,
Clara Domus Priami denos ſuffulta per annos.
Naſcenti Tibi Cælituum chorus aſtitit omnis
Alme Puer, Chariteſque manus per mutua nexæ
Auguſtas triplici cunas cinxere coronâ,

Mixta-

Mixtaque victrici ſparſerunt lilia Lauro:
CZARTORISKA Deos vidit Domus, aulaque fragrans
Nectare Cœleſtum inſolito ſplendore refulſit.
Juppiter (1) *AUGUSTI* ſub imagine ſplendida tecta
Ingreſſus verum Infanti virtutis amorem
Impreſſit Patriosque ignes, & robur avitum;
Mars animum afflavit, mentemque Tritonia Pallas
In belli, pacisque decus, Cyllenius Hermes
Ingenium, mores, & verba effinxit Apollo,
Sed Genius, Natale comes qui temperat aſtrum
Excepit *Puerum*, Superisque adſtantibus, omnes
Divitias, omnes dotes, & munera fudit.
Interea æternæ fatalia penſa Sorores
Volvebant parcente manu, fuſoque retorto
Sponte alios aliis glomerabant orbibus orbes:
Aurea concordi deſcendunt pollice fila,
Et ventura novo miſcentur ſecla metallo.
Dumque operi intentæ felicia vellera ducunt,
Conſtitit in mediâ *Fatum* immortale coronâ
Antiqua gravitate Senex, cui plurima mento
Canities veneranda jacet; quo vindice Divûm
Conſilia, & rerum trahitur certiſſimus ordo;
Tunc ſceptro innixus, mentisque arcana reſolvens,
Audite hæc, inquit, Superi, & ſpes diſcite veſtras.
Hicce Infans, in quo Matremque, Patremque videtis,
Incipiet ſimul ut tremulis inſiſtere plantis,

NOTÆ

(1) *Augusti* ideſt Celſiſſimi Principis Palatini Ruſſiæ.

Incipiet doctas Parnaſſi ardere Sorores,
Et Sapientum artes, Doctrinarumque reperta
Nocturnâ teret Iſte manu, teret Iſte diurnâ;
Qui primos Regnorum (1) ortus, atque inclyta narrant
Facta Ducum, ſanctis magnas qui legibus (2) Urbes
Fundarunt, populo & norunt dare jura regendo;
Qui cultus hominum varios, & nomina præbent,
Atque docent certos (3) Mundi cognoſcere fines,
Et nemorum anfractus dubios atque alta profunda,
Et curſus varios fluviorum, & culmina montium
Deſcribunt tabulis; fera munera (4) Militiai
Qui tradunt, quæ nempe Duci ſit cura adhibenda,
Seu moveat, ſeu caſtra locet, quibus artibus arces
Expugnare, quibus detur defendere ab hoſte;
Quin *Puero* huic docti monſtrabit cura Magiſtri
Quid Mundum (5) per inane regat, quibus erret in orbes
Legibus adſtrictus, varioque per æthera gyro
Palantes inter colludere geſtiat ignes.
Exceptos quâ vi (6) refrangat vitreus umbo
Splendentes lucis radios, qua lege vagantes
Colligat in nodum complexus, & ima ſupremis
Vertat, cur amet obtentas pictura tenebras.
Quid moveat tubulis argenti (7) fuſile pondus
Impulſu vario, refluas cur unda metalli
Sæpe vices ſubeat diuturnæ inimica quieti.
Quos agitant motus (8) magnetica corpora, qualis
Cau-

NOTÆ

(1) Hiſtorici. (2) Politici. (3) Geographi; (4) Scientia Militaris. (5) Syſtema Copernicanum. (6) Camera obſcura. (7) Aſcenſus & deſcenſus Mercuriis in Barometro; (8) Vis Magnetica.

Cautibus eſt ſenſus, ſilicique innata cupido,
Quidve volunt, quid amant, & quo ſe Numine tollunt.
Incluſam quâ vi terram (9) circum ambiat aer
Urgens mole gravi; errantes quo pondere cogat
Particulas; quanto oppreſſus ſe ſe explicet ictu.
Quo pariat motu (10) tellus, unde auctus alatur
Fœtus, & ipſe nova maturus prole graveſcat.
Quas & divitias (11) eadem intra viſcera condat
Fertilis, ambiguo quâ flexu ludere geſtit
Materies, variisque effingere ſtrata metallis:
Curſu unde & nunquam latices ceſſante ferantur;
Unde acris ſalſugo maris; quid flumina prono
Exonerent curſu, & vaſtum labantut in æquor.
Cum tamen hoc ſumptis augeri neſciat undis;
Unde ſapor varius diverſœ exiſtat aquai;
Cur fontes fervere gelu, frigere ſub æſtu,
Cauſaque, diſparium quæ ſit fæcunda, colorum,
Cauſaque, quæ nitidos det opacis rebus amictus.
Hæc & plura *Puer* diſcet creſcentibus annis;
Robore dum crudo ſurgens, & idonea Marti
Maturum grandes ætas accinget ad uſus,
Et dignum Genitore probet non degener alti
Vis animi; dabitur, *Puer* o Tibi noſcere cuncta,
Par cunctis Puer unus eris. *Puer* Inclyte ſalve:
Te Formet virtute *Pater*, pietate reformet
Te *Mater*, rurſumque animis *Pater* impleat, æſtus

 In-

NOTÆ.

(9) Meteoræ, (10) Vegetatio. (11) Foſſilia.

Inspiret Martisque faces, & Apollinis artes;
Imperet at dulces animos, mentemque benignam
Mater Acidalio Veneris formosior astro:
Judicij magnum pondus *Pater* addat, acumen
Ingenii *Mater*; Legum documenta, severam
Justitiæ normam, decus inviolabile juris
Te *Pater* edoceat; pia munera *Mater* honesti
Plena, preces, vota, & quidquid clementia leni
Suggerit impulsu, referes *Puer* atque Parentum
Alternis dotes; *Repetentem exempla Tuorum*
AUGUSTUS Te accendat *Avus*, Magnusq; *MICHAEL*
Ille sago, Iste Togâ quo non præstantior alter.
Dixerat, extemplò decreti conscius æther
Annuit, & toto strepuere tonitrua cœlo;
Respondet tellus, flammisque accensa coruscis
Lecchia, fata Deum repetito murmure sanxit.
Me juvet interea Augustum mulcere *Puellum*
Carminibus, blandi quæ dictat Musa Catulli;
Carminibus, geminis resonet, queis *Vistula* ripis,
Atria quæque *Novæ* repetant Regalia *Villæ*.

HENDECASYLLABUS.

SAlve parve *Puer*, *Puer* Parentum
Longæ deliciæ, *Puelle* salve,

O cœ-

O cœli labor ! o amor Deorum !
O desiderio petite multo !
O parce aera fletibus tenellis
Implere ; ecce sonus Tibi faventum
Implet compita , gratulantiumque.
Sæcli præsidium Te & decus futurum
Clamant omnia, & omnia ominantur ;
Natalesque Tuos secundat æther :
Spes cresce Imperii, & salus Poloni,
Felix cresce *Puer* , tenelle cresce
In dotes *Genitoris* , atque *Matris*,
AUGUSTI, *MICHAELIS* inque dotes,
Jagelloniadum dotesque Regum.
Felix cresce *Puer*, novosque plausus
Disce noscere Sarmatum Tuorum;
Dum adsunt agmina & alma Gaudiorum,
Dum læto Tibi ridet ore *Mater*,
Quæ pulchra facie, cyprisque ocellis ,
Quæ blandis simulat Deam labellis,
Risu noscere disce & ipse *Matrem* :
Da olli blanda labella, tende ocellos,
Et crebras cape basiationes.
Ah ne belle *Puer* gelu tenellum
Corpus mordeat, aut anhela febris ,
Lactis nausea vel acerba, lædat ;
Morborum esto procul cohors maligna,
Mem-

Membris parcite, quœso, delicatis.
Ah ne belle gemas, *Puelle* belle,
Lactis flumine sedula ecce nutrix
Rigat nectareo, suisque pondus
Mammis nobile læta gratulatur;
Dum Te at fasciolis cupit ligare
Edis tunc gemitus, negant teneri
Prorsús brachia, quærere et videntur
Ensesque, frameasque, tela, et hastas.
Sic quondam latebris tenebricosis
Reptans Juppiter hospitalis Idæ,
Se Regem, atque Deum Puer ferebat,
Altricis respuebat et capellæ
Lac, ast ambrosiam Deum petebat
Escam, et brachiola usque et usque jactans
Mox proludere gestiebat ardens
Torto fulmine, jam rubente dextrâ.
Sed ne longius hæcce cantilena
Fors o! *Pupule* Te nimis fatiget,
Jam cesso *Puer* alme, belle, dormi,
Dormi belle *Puer*, Tenelle dormi;
En cunas Charites movent Sorores
O mi *Pupule* blandicelle dormi:
Sed jam Pupule mollicelle dormis.
Nos vero ad calices, scyphos volemus
Insanire placet, *Puer Jagello*

Nos

Nos ad ſtultitiam vocat decentem.
Hinc procul ſteriles valete curæ,
Hinc procul ſterilis vale Minerva,
Potemus vitreis merum culullis,
Reclament tetrici licet Catones,
Reclamentque ſenes licet moleſti;
O jucunde liquor Deûm voluptas!
O Lenææ Pater comes Jocorum!
O Lenææ Pater facetiarum!
Huc ornate levi caput corollâ,
Huc armate ſcypho manum potenti;
Adſis Bacche precor, tuoque noſtrum
Perfunde Hungarico calore pectus;
Eja pone manu Chromis nitenti
Terna pocula, dein novena pone,
Et dein pocula ter novena pone,
Dein ponendo modum teneto nullum:
Et bibendo modum tenebo nullum
O divine liquor, liquor jocoſe!
Tellus quem Hungara mollicella mittit,
Liquor deliciæ Poloniarum;
Te ſi Diî ſemel, & Deæ bibiſſent,
Semper Diî biberent, Deæque ſemper.

ELE-

ELEGIA.

NOx quæ ſopitis indulgens otia terris,
Sidere felici roriferisque rotis
Invecta, egregiam, ſic promittentibus aſtris,
Sauromatum Terris Læta dediſti animam;
Te nox Sacra manent te ſplendida feſta quotannis,
Quæ primæ Lucis dona *Jagellonio*
Largiris *Puero*, ſemperque novabitur almæ
Noctis honos; aras nunc tibi lacte novo
Tingimus, ac multo fæcunda papavera ſomno,
Spargimus et myrtos: Tuque ades alme Geni,
Naſcentem Puerum cui ceſſit cura tueri,
CZARTORISKIADUM tecta ſuperba ſubi,
Natales intraque Lares; age, prima *recentem*
Cura fovere *Animam* ſit tibi ſancte Geni.
Sanguineâ cervice pecus non imbuat aram,
Nulla tibi noſtrâ victima cæſa manu eſt;
Serta tibi florum legimus, tibi ſerta dicamus,
Fundimus Hungarico pocula plena mero;
Tingere labra omnes Læneo munere certant,
Inſomnem atque omnes noctem agitare juvat.
Tu quoque *naſcenti Puero* Lucina benignas
Diva potens uteri deproperato manus,

Solve

Solve laborantem materno carcere prolem,
Maturos partus rite aperire potens:
Sed thorus insolitò passim splendore coruscat,
Coccinaque ambrosio Syndone tacta nitent;
Lucis adest Dea, surgentes depone querelas
Dia Parens, puras audiit illa preces;
Pone modum lacrymis, flavis jam parce capillis,
Turgidulisque oculis, turgidulisque genis.
Erumpunt Helicone deæ procul ecce sonoro,
Votiva et plenis dona ferunt calathis;
Hæ portant sectas Lauro Parnasside cunas,
Fasciolas istæ et candida linteola,
Et *Puero* violis permixta crepundia vernis;
Vagituque novo splendida tecta sonant.
Ast aliæ variâ certatim fronde coronant
Vestibulum, & spargunt flexibiles hederas;
Calliope at Matronarum sociata catervæ
Sarmatidum insigni, dissimulata Deam
Vescentem cælo, primo auras ore trahentem
Ulnis in *Puerum* convolat implicitis,
Et suavem invitans mota ad cunabula somnum
Blandisono mulcet carmine compositum.
Hoc erat, hoc, Auguste *Puer*, quod nuper Apollo
Præmonuit, Parcas fata secunda Tibi
Nere colo faciles, Cylleni Numen amicum
Sarmatiæ cunctis innuit hæc populis,

Jnnuit, & placido riſerunt ſidera vultu:
Jpſa Tibi partu terra recente hilaris
Excutit é gremio pondus nivis, atque tepentes
Liquitur in rivos irritus ecce labor
Duræ hyemis, gelidis ſtridoribus exſulat Auſter,
Atque Aquilo cinctus vellere Hyperboreo,
Frigore captivos indignans *Viſtula* fluctus
Lætus avis, fætu major & ipſe novo,
Duratos Latices denſam in glaciemque nivemque
Conterit, & totis in mare currit aquis;
Quaque pedes ierant, itur nunc lintre; nec audent
Ducere tardigradi rustica plauſtra boves.
Jpſe tibi glacialem hyemem ſol depulit imas
Sub terras; longos jam facit ore dies.
Felices Auguſte dies age, *Parve Jagello*,
Dent Parcæ & faciles in Tua fila manus;
Spesque Patris, Matriſque auge *Puer* alme, tenelle,
Votaque *Avi* ſuperes fervida, vota *Aviæ*.
Auguror & Patrias olim meditaberis artes,
Et ſtudia Heroo digna ſupercilio;
Sive Tibi carmen placeat; Tibi carmina Muſæ
Dictabunt; virides cinget Apollo comas;
Sive vias cæli, rerumque exquirere formas,
Naturæ & juvet involvere Te latebris.
Tempus erit quo Te Populi, Te turba clientum
Et legum in ſolio cinget amica Themis.

Aut

Aut Bellatorem Te Patria castra reposcent,
  Ambiet & celeri Sarmata vectus equo;
Mars galeas, frameasque feret Tibi, scutaq; & enses,
  Et bello insignes enumerabit avos.
Parte aliâ fasces monstrabit & ordine longo
  Proponet Patres, unde superba Themis;
Jllorum rediviva Tibi se sistet imago,
  Jlla tuos ingens pascet imago animos;
Ex illis disces durâ virtute ferocem
  Subdere fortunam, Teque virum gerere,
Jagelloniacam agnosces ex ordine Gentem,
  Et *CZARTORISKÆ* tot monumenta Domus.
Tu famam accipies, nomenque, & facta Parentum;
  Quidquid eris magno munere major eris.
Utque geres laudanda; illos mirabere Princeps,
  Heroum digno qui decus ore canunt.
Tu vero pulchri *Mater* pulcherrima Nati
  In nova præteritos gaudia verte metus.
Mater amans, age Matris opus, munusque subito.
  En sed materno jam cubat ille sinu.
Inclytus ecce *Infans* ad *Patrem* dulce renidens
  Exporgit *Matris* brachiola e gremio,
En *Patri* similes oculos, en *Mater* in ore est,
  En vultus, in quo spirat uterque Parens.
Ut genus erectâ *Jagellûm* fronte fatetur !
  Atque ut *ALEXANDER* multus in ore natat !

Cresce *Puer* dilecte Deis, dilecte Polonis
Grande Tuæ fulcrum, deliciæque Domus;
Cresce *Puer*, magnis repleas ut plausibus orbem;
Sarmata jam veteres quærere parce Duces.
Vive annos felix Phrygij Senis, atque Aganippe
Dexter Mæoniis sit Tibi carminibus.
Hæc Dea Calliope, formosaque brachia collo
Inserit, & *Puero* basia congeminat;
Cæruleum fulgorem oculis mox afflat honestis,
Divinusque *Olli* surgit in ora nitor.

ODE.

QUis me æstuantis non humilis rapit
Motu citato pectoris impetus,
Et cogit excelsas volatu
Pegaseo superare nubes?

Contracta tellus luminibus meis
Fugit; micantes fulminibus domos
Cervice tango, cerno olympi
Lucida Templa, Deûmque turmas,

Me numquid error ludit amabilis?
Hic inter omnes Cælituum choros
Jnfantiles Divam videre
Fasciolas videor parantem.

Haud vana sensus decipiunt meos,
Lucina Cælo fasciolas parat:
Num parturit rursus cerebro
Rex hominum Pater, atque Divûm?

Non rursus, inquit Diva uteri potens,
Gignet cerebro Juppiter, explico
Feliciora, cerne Vates
Attonitus benefacta Divûm.

Ego futuri præscia nuncio
Suo *JSABELLAM* ventre Puerperam
Gestare *ALEXANDRUM*, novumque
Sauromatis jubar exoriri.

Lux fausta *Genti Sauromatum* micat,
Natura *Ducem* parturit inclytum;
Hæ fasciæ fæto *Parentis*
Excipient utero cadentem.

Quam grata toti munera *Lecchiæ*
Lucina pandis! *Lecchia Gens* moras
Sed has recusat, teque lentos
Diva, rogat properare gressus.

De-

Deſcende Cælo, Czar – que *Toriſkias*
Jnviſe ſedes lucis amans Dea,
Jnviſe *Magni* Tecta *ADAMI*
Regifico decorata luxu.

Tu ſidus *Orbis* naſcere *Lecchici*
Puelle Cælorum o labor, atque amor,
Quid prorogando vota *Patris*
Gaudia quid *Patriæ* retardas?

Puelle fulcrum naſcere *Patriæ*;
Te Tecta amænæ celſa *Pulaviæ*
Hortique poſcunt. Te requirit
Supplicibus *Nova Villa* votis.

Tuum at laborem *magna Puerpera*,
Novamque Prolem non morientibus
Mandabo chartis, quas futuris
Poſteritas leget omnis annis.

En auſpicati murmura barbiti,
Auditis? o tu juſta ſuperbia
Parentis Eliſæ! o Beati
Maſcula progenies *ADAMI*!

Quando innocentes corpore firmior
Cunas relinques? quando minoribus
Exibis annis, & virile
Jngenium capies ab ævo?

Tunc

Tunc disputabis quis deceat status
Gentem Polonam, quem teneat locum
Polona virtus, quos crearit
Jlla *Viros* faciles perire

Custodiendis pro Fidei sacris,
Custodiendo jureque Patriæ,
Et multus evolves Tuorum
Prisca *Patrum*, generosa facta.

Vacante quodam tempore forsitan
Jpsa hæc *DURINI* Carmina *Nuncij*,
Hæc ipsa lecturus requires,
Forsitan atque Tibi placebunt:

Nec Tu Poetas, Gloria sæculi
Contemne, *Princeps*, aut cytharæ sonum,
Per quam tot Heroes reposti
Sedibus ætheriis beantur.

EPIGRAMMATA.

VIstula, qua Dominam lentus perlabitur urbem,
Diis genitum, atque Deos progeniturum iterum
Sensit *ALEXANDRUM*, saliens, & corpore toto
Duratas glacie colliquefecit aquas;

Atque

Atque ajt, ò Nymphæ manibus date candida plenis
Lilia *ALEXANDRO*, molliculasque hederas.
En tibi vorticibus pronis, & ſupplice cultu
Alme fluo; oceano mox & Hyperboreo
Nuncius ibo ; Orbi natum Gens ſquammea Ponti
Per me læta ſciet ; Nereidesque Deæ
Exilient antris, plaudent pedibusque choræas;
Spirabunt blandi mollius & *Zephiri*;
Quando o! tempus erit, quo noſtræ margine ripæ
Captabis Zephiros , frigora opaca mea,
Aut pictis mea terga premes *Puer Alme* phaſelis,
Dignatus flumen pondere dulciculo !
O utinam poſſem auguſtas allambere cunas ,
Cura Moſis parvi eſt ut tibi , Nile, data.
Afficerem dociles, curis altricibus undas,
Libaremque tuis oſcula mille genis.
Dixit, & actutùm Nymphis celebrare choræas
Imperat, & totis in mare currit aquis.

II.

Ad
Celſiſſimam Principiſſam
ELISABETHAM CZARTORISKAM.

SOlare o pulchri *Mater* pulcherrima *Nati*
Dividias uteri , dividiasque animi;

Unus

Unus *ALEXANDRI* Tibi tot fastidia risus
Auferat, & spargat pectore lætitias;
Sperat adhuc similes a Te Tua Patria Natos,
Non unus Patrio sufficit Imperio
Heros, *Alcides*, multos, pluresque *Jagellos*
Inclyta Tu debes & *Domui*, & *Patriæ*.

III.

HUc properate simul summi vaga sidera Cœli,
Nexa *Jagellonio* fingite vos *Puero*,
Zonaque signifero cita devolvatur ab axe,
Fascia quo tenerum clara liget *Puerum*,
Et dulce infundat roseis lac pura labellis
Semita, quæ lactis nomen habet nivei;
Tum Siren, cui mota sonat Cœli orbita, faustam
Dum repit somnus Nœniolam recinat:
Vulgares cunas habeat Gens cætera, *Felix*
Unica stellarum cura *Puellus* erit.

HENDECASYLLABUS.

P*RINCEPS* Inclyte *ADAME* jam triumpha.
Quod votis precibusque concupisti
Effectum innumeris & impetratum,
Factum gnaviter est & impetratum:

Lucinâ Tibi denique ſecundâ
Nuper prodiit ætheris ſub auras
Felix herclè, & amabilis *Puellus*,
Ferens delicias *Suo Parenti*
Ferens blanditias *Suæ Parenti*
Et ſolatiolum *Aviæque*, *Avoque*
Longâ olim o Serie Genus propaget,
Genus, *Regibus* inclytum *Jagellis*.
Nec ſolum Lepido *Tuo Puello*
Opto tempora longiora vitæ.
Jllud addo etiam, virenti in ævo
Carus Pieriſinque, Apollinique,
Condiſcat Clarias decenter artes,
Æquis paſſibus *&* *Patrem* ſequatur,
Atque æquet Genii Ingeniique dote;
Nec *Jllo* meliorque doctiorque.
Venturis celebretur ullus annis.
At dum creſcit *Hic* in dies & horas,
Dum cognoſcere *Te*, *Suamque Matrem*
Incipit lepidiſſimus *Puellus*:
Riſu dulciculoque & integello,
PRINCEPS Jnclyte ADAME Tu Triumpha.

HEN-

HENDECASYLLABI.

FOrtunant Tua, *ADAME*, vota *PRINCEPS*
Divi, naſcitur en Puer, Parentum
Naſcendo cumulat tot atque vota:
Invitæ ſubit ecce *bellus* auras
Infans, jam petit ore ridibundo
Præclaræ *Genitricis JSABELLÆ*
Fulgentes oculos, genas rubentes.
Nymphæ *Viſtulæ* adeſte, convolate,
Sinus floridulos recluditote,
Ulnis candidulis *Jagellulumque*
Heroem, mora nulla, ſtringitote,
Et ſoporiferas parate cunas
Luxu Regifico: Ite fronde Serum
Diti vellera pexa, ſeu Canopi
Collegiſſe juvat nucem feracem
Villis candidulis, tenellulisque,
Mox & lacteolis amica membris
Cuniſternia ſubdite, in *Puello hoc*
Uno publica ſpes viget *Polonûm*,
CZARTORISKIADUM decus *Jagellûm*.
Huc blandæ Charites volate, adeſte,
Riſus cumque Jocis adeſte, amores

Saltanti pede præpetes choreis
Cunas cingite mollibus *Puelli*,
Frontem cingite Liliis *Puelli*.
Imo hinc o Charites abite, abite
Riſus cumque Jocis, valete Amores;
Una ſurpuit *JSABELLA* vobis
CZARTORISKA decus; velut myricas
Pulchra inter Roſa prænitet jacentes;
Adflabit decus *Illa ſola Pupo*,
Frontem dulciculo imbuet Lepore,
Genas riſibus imbuet venuſtis,
Et mundis labra purpurabit oſclis.
Hanc Unam exprimat ore, fronte, ocellis,
Quando ætatula adhuc negat labores
Sequi militiæ; vigor ſed altus
Ut firmaverit, aſperos cruenti
Gradivi tolerare diſcet æſtus,
Pulchram audaciam & ore præferendo
Virtutes referet *Patriſque* vultus.

HENDECASYLLABUS

DUlcis ſomne veni, *Puer Jagello*
Blanditur tibi, ſomne blandicelle,
Feſtina optime ſomne, rumpe ſomne
Tardas rumpe moras, *Puer Jagello*

Te ad Cunas vocat, huc celer venito,
Vocat te accubitum *Puer Jagello*,
Veni noctis amice, ſomne belle
Amplexum petit en *Puer Jagello*
Dulcis ſomne tuum, innuitque ocellis.
Veni ſomne, veni benigne ſomne,
Rerum ſomne quies amica, primus
Atque inter placidos habende Divos.
Victo corpore jam ſed alme ſomne
Regnas, dum loquimur, premisque ocellos
Felicis Pueri; *Puer tenelle*
Mi dulciſſime, belle, belle dormi,
Dormi; tempus erit *Puelle* belle,
Cum te laudis Amor, *Patrisque* Imago,
Sive objecta animo Trophæa Pacis,
Sive objecta animo Trophæa belli
Noctes ducere, mi *Puelle*, cogent
Inſomnes; oculis Papaver ah tunc
Somni diſcuties, caputque fultus
Comanti Galeâ, aut ſupinus enſe
Coruſco ſuper, inter & Tubarum
Feralem ſonitum, atque tunſa palmis
Jnter Tympana, buccinasque acutas,
Et ſævi tonitrus vagos Gradivi
Mulcere indomitum citus laborem
Aſſveſces; modo, mi *Puelle*, noctem

Sed

Sed totam requiesce *belle*, lucem
Et totam. Sopor ille, *belle*, succo
Vitali rigat ossa, sanguinemque
Purum conficit, ille robur ausis
Æquum ingentibus, instruitque membra
Digna *Hæroo* animo: Rosa ut virenti
Nodo, tenvis adhuc, migrare necdùm
Cui fas, in viridi videtur umbrâ
Dormire, imperio est illa nata verum
Tamen. Gens volitat prope at Favonî
Alludens, roseoque mox flabello
Salax ventilat, & tenellæ Alumnæ
Sudorem alluit; oscla libat ille,
Frondentem iste agitat, quatitque spondam.
Natura interea anxio labore
Occulto intus agens ministrat olli
Vires, atque alimenta recta sensim;
Nunc ostro folia irrigat, niveque
Decenti nimios moratur ignes;
Nunc supremum apicem allinit micanti
Auro, & pulchricomâ caput coronâ
Cingit, nectareo sinusque odore
Perfundit; mora nulla, vix Polo se
Eos tertia rettulit, superbo
Atque illam solio micantem, & armis
Circumstantibus omnis obstupescens

Gens

Gens florum alma genû reclivi adorat.
Sic dum *belle* thoro *Puer Jagello*
Hœres, vel gremio cubans amatæ
Nutricis *Puer, alme, belle,* somno
Jndulges, Tibi magna Procreatrix
Rerum usque invigilat fidele curâ
Cæptum absolvere pergit & *Jagellum.*
Frustrà etsi petat illa tantum honorem
Frustrà sola sibi; manetque prima
Tanto in laus opere inclytos *Parentes*:
Ulnis ab *Patris,* abque *Matris* ulnis
Vires accipient tenella membra,
Desumetque animos virile robur.
Jnsistent studiosâ *uterque* curâ
Mores indere, qui decent *Jagellum,*
Totos fundere seque mollicellæ
Menti. Tu monitus *Puer* sequere.

Celsissimo Principi
FELICI CZARTORISKIO
Recens orto.

TE *Nato* novitas reserata volubilis anni
Gaudet, & admissos leniùs urget equos;
Jamque *Tibi* incipiunt longi se prodere soles,
Natali applaudunt tempora læta Tuo

Jpsa

Jpſa exuta hyemem venturi veris amore
Veſtit, & ornatas terra recludit opes:
Jamque ubi conſueſces auras orbemque tueri,
Ridebunt oculis omnia blanda tuis,
Quid mirum. Nam vere novo qui condidit orbem,
Vere novo *Læchis* condidit Jlle Ducem

Patri Celſiſſimo Principi ADAMO

Filiolum, *Princeps*, Tibi quem dedit Jnclyta *Conjux*
Eſſe Sibi natum *Sarmatis ora* putat
Jamque *Senatorum* atque *Eqiutum* ſacer ordo futuro
Jam Plebs juſtitiæ vindice geſtit ovans;
Ante alios gaudent Muſæ, Vateſque futurum
Illum præſidium dulce, decusque ſuum,
Multa vovent Puero. *Patri* ſi *Filius* olim
Par fuerit, votis uberiora dabit.

In Ejuſdem Natalem diem.

Mirabar cur perque nives nubesque fugatas
Sol hodie roſeis inveheretur equis.
Cum mihi ſic Phœbus; nunc *Czartoriſkius* ortus;
Naſcor *ego* mundo, naſcitur *Hic* Patriæ.
VEL
Lux ego ſum mundi, Lux erit Hic Patriæ.

Ad Polonos

Exultet felix ingenti *Lecchus* Alumno,
Menſe ſub hoc ſemper nil niſi grande oritur.

Ad Varſaviam.

Varſavia exultes, novus en tibi naſcitur *Heros*,
Creta ſuperba *Jove* eſt; Tuque *Jagellonio*.

Ad Principem ADAMUM Patrem.

Magne ADAME, Marem Tibi parturit *Inclyta Conjux*
Jam creat *indigenas* Sarmatis ora *Deos*.

Ad Celſiſſimum Principem AUGUSTUM ALEXANDRUM CZARTORYSKI Palatinum Ruſſiæ.

De Ejus Villâ vulgo dicta Wilanow.

Maxime ALEXANDER priſcæ virtutis imago,
Regia cui virtus, Regius oris honos;
Rara Tuæ ut vidi Villæ miracula, dixi:
Nobilior ſedes eſt Tua, ſede Jovis.
Par Cœlo *TU* limen habes *TU* limine major,
TE minor eſt, quamvis Numine digna Domus.

De Ejuſdem Celſiſſimi Principis Villâ

Pulaviæ Sitâ.

Excelſis *Pulava* ſedens in collibus, aſtris
Proximum *ALEXANDRUM*, quo licet, uſq; facit;
Subter at arva beans fluviorum Sarmaticûm Rex
Gaudet *ALEXANDRO* ſe ſimilem eſſe ſuo.

De Eadem.

Si quis delicias neſcit fortaſſe Polonas
O *Pulava* tuos conſulat illa Lares;
Contulerit vaſto cum ſparſa Palatia mundo,
Dicet ibi Reges; hic habitare Deos.

De Eadem.

Majeſtate licet totâque ſuperbiat arte
Hæc magis ob *Dominum* ſplendet amæna Domus.

De Eâdem

Quam bene conveniunt & in unâ ſede morantur
Majeſtas *Domini*, grandis & arte domus.

De Eâdem

Stat colle in ſummo (nempe ut pulcherrima rerum
Eſt hæc celſa loco nobiliore Domus;)

Mole

Mole nihil majus, nil formâ auguſtius extat,
Fronte quater ductâ certat & ipſa ſibi.
Viſtula tranquillâ prope qui præterfluit undâ
Hæc indefeſſo murmure lætus ajt.
Gloria ſunt Regni Pulavia Tecta Poloni,
Suntque decus ripæ deliciæque meæ.

De Eadem

Regali haud impar cultu formâque ſuperbâ
Exterior domus hæc, interiorque ſibi eſt.
Accedunt horti pulſæque Syphonibus undæ,
Frondea tecta, almos Floraque picta ſinus:
Non ego Pheacum ſylvas, felicia ſepta
Prætulerim vobis, aut nemora-Alcinoi,
Delicias non Tyburtis, non Tuſcula rura,
Non Tempe doctis cognita carminibus:
Linquere jam Jdalias propera *Venus* aurea ſedes,
Pulaviæ Jdaliâ ſede carere potes.

De Eadem

Pulaviæ cernis quisquis miracula Villæ,
Et culta inſolitâ ſuſpicis arte loca.
Dic loca, ibi, quondam primævo oblata Parenti
Principi *ALEXANDRO* reſtituiſſe Deum.



AD LIBELLUM ET ZOILOS

At tu garrule quo libelle pergis,
Dum non vis dominam manum a tabellâ
Summam ponere, sis, Libelle, liber,
Libellum dare non librum putabam.
Sed vos aspera Turba Zoilorum,
Rixosi querulique *Grammatistæ*,
Quos in *Grammaticœ* rubis molestis
Pavit *Grammaticûm* pecus Catonum,
Vestras audio jam Latrationes,
Rhoncos atque obelos, calumniasque.
Quid cessatis? ohe *Tenebriones*
Tela stringite, luridasque dextris
Pennas exerite, undiquaque totas
Vires colligite undiquaque, quo plus
Nam vos *Grammaticalis* ira versat
Tanto splendidior mei videtur
Fama nominis & decor libelli.

FINIS.

Latiæ Dulces ante omnia Musæ.